Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Szuhany, Johann Friedrich]: Nulla magis omnibus displicent, quam quo siunt, tanquam omnibus placeant, d. 26 Jan. 1776

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

Locus Plinii

Nulla magis omnibus displicent, quam quæ fiunt, tanquam omnibus placeant.

quod exposuit

J. Szukanÿ. Stud. Theol.

d. 26.ten Jan.

1776.

20 Jan. 1776 –

OECONOMIA.

Exord: Melius est fortuna inferiori contentum esse, quam altiorem sequi.

Thema. Modestia ignorationis majorem obtinet gratiam, quam superba cujusque favoris affectatio.

Duplici hoc ratione stabiliam.

Ima Quoniam illud studium, quocunque demum modo fiat, culpandum est, nec unquam obtineri potest.

1, Oratio de se suisque meritis quantumvis speciosa, criminosa

2, Assensus, si verus esse debet, non aliqua utilitatis spe aut assentandi alteri studio extorqueri debet.

3, Quod si vero aliquis vel maxime virtutis viam insistat, et assensu quovis dignissimus sit, multa tamen huic conatui obstituntur.

4, Hoc non minimi momenti est, quod, qui ad finem voti sui pertingere cupiunt, diversissima ingeniorum vincenda vincula est.

II da.

a, Qui omnium assensum extorquere vult, id facit, quod plane naturae assensus repugnat, quoniam is cogi non potest.

Rat. Assensus niti debet firmissimo veritatis ac rationis fulcro.

b, Principem locum hic tenet insita hominibus in judicando caecitas, atque perversitas.

c, Ad hoc accedit, quod difficillimum est, merita alterius perspicere, nisi ipse meritis polleas.

d, Ita comparata hominum natura est, ut quod ipsi non habent, in aliis videre non gestiant, ideoque, si vel quandam deberi alicui laudem intelligant, hanc tamen non proferant, sed condant potius

e, Sed quum frivolis etiam scatet hominum coetus, hique non alio modo ad altiora emergere cupiunt, alterendo alios id assequi studeant, atque, quod ipsi faciunt, alteri vitio dabunt, invidiam adeo sibi comparant.

f, Cumulum denique doloris addit, quod semel amissa fama difficulter reparatur.

DIRECTOR Gravissime!

Sodales ornatissimi

Ad eam ingeniorum humanorum natura depressa labem est, ut, quas habent, quæ hominem nobilitant dotes atque virtutes, ultra limites propellant et in utramque partem evagentur; atque ideo in universum fere valet, ut, qui nimium in virtute versantur, proni feruntur in contrarium vitium. Quod quidem devia, ubi mala, comitantur inevitabilia, ita maxime tamen sunt disparata atque discrepantia. Maxime vero hoc videre licet ex egregia illa animi virtute, quæ ni limites positos transgrediatur, mentes nostras impotentis temeritatis incursu transversas ferri non patitur, fiduciam puto, quam animus in summis etiam difficultatibus aliquid sibi sumit. Hæc est illa virtus, per quam commodissime nomen nostrum ad posteros transfertur, per quam dignitas hominis mirum in modum alitur augeturque. Hinc faustum aliorum de nobis judicium, hinc viridissima in animis commotio, hinc memoria rerum summa benevolentia retenta; hinc jucundissima bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio; hinc denique laudes undequaque nos excipientes. Si vero infamiæ evitare cupis maculam, id videas, ut, quantam sui fiduciam habere rite composita mens debeat, cognoscas; quæ ardua omnino et longe difficillima quæstio est, quod, ut evites, latebras omnes et recessus conscientiæ

–

excubias, diligenterque actionum tuarum respicias finem, vel exundantia quadam cuspandi tibi ipse officias. Quod, si convenienter observentur, nihil hoc animi statu generosius est, nihil homini, qui dotes a Deo sibi concessas provehere, curam habuerit, nihil, inquam, ejus naturae magis est consentaneum, magisque conveniens. Mira certe sunt, quae fidens animus, si recte in ceteris versetur, producere atque operari potest. Abeant vero vilissimi homines, qui parum animo suo aut nihil omnino fidunt, nec vel levissimae rei suffecturos se putant. Hi enim facultates multoties non contemnendas pessime negligunt ac sepeliunt. In tali statu si sit constitutus animus, non video omnino, quid intersit inter ejusmodi hominem bestiamque. Nullius sunt frugis, nihil etiam quod ad commoda rerum publicarum pertineat, moliri queunt, cum ex diverso plenus fiduciae spiritus animi virtutes perficiat atque exerceat; licet subinde levi quodam errore labatur. Ad hoc accedit, quod longe gloriosius inter ancipitia clarescere, et per salebrosa et aspera vitae inconcusso animo transire. Nonne majori dignus est laude gubernator cum infesto, quam cum tranquillo navigat mari? cum reluctantibus ventis navem dirigit et salvam in portum constituit. Nihil tali viro dignius,

nihil venerabilius:

Ne vero Vos Auditores! longiori prologis morer, statim ad illud, de quo differere maxime apud animum constitui, progrediar. Erit autem orationis meae thema:

Modestiam ignorationis majorem obtinere gratiam, quam superbam cujusque favoris affectationem.

Quod dupplici ratione stabiliam.

Imo Quoniam illud studium, quocunque demum modo fiat, culpandum est, nec unquam obtineri potest, deinde

IIdo Quod exinde petita nominis fama ignominia exploditur.

Hoc vero mihi erit auspicatissimum bene gerendae rei omen si exigui temporis attentione meum dignari sermonem tanti habueritis.

Qui nimis placendi aliis studio fertur, necesse est, is cœcam sui ipsius amoris opinionem apud alios contrahat. Id enim qui captant, quid aliud faciunt, quam ut felicem aliorum de perfectionibus suis venentur opinionem? Quo quidem modo isti homines insigniter sibi ipsis decipiunt. Namque quantumvis quis uberrimam doctrinae collegerit messem, et maxime adulantem pro se talenti perfectionum ostentationem, tamen, si ipse se sapientem credat, a sapientia distabit, et hoc longius, quo minus,

quantum distet, intelligit. Summum semper sui perficiendi incitamentum est, putare semper se parum scire, ac multa ignorare. Quod isti admiratores sui facere prætermittunt, ac proinde ultra procedere non ita curant, quoniam se ad metas, aut pervenisse omnino, aut propemodum saltem existimant; bene consulentibus adversantur: admonentibus repugnant: aliis non credunt. suas opiniones pro oraculis sustiniunt. Sic aditum sibi ad augusta illa sapientiæ templa intercludunt. Nulla hac, ut virtutis & recte factorum, sic litterarum est major capitaliorque pestis. Hæc causa est, quamobrem in quovis genere disciplinarum perpauci excellant, amor sui nempe et falsa doctrinae persuasio, qua se complures deludunt. Non cum iis, quibus antecellimus, sed cum his, quibus adhuc minores indoctioresque sumus, nos comparemus; ut qui curriculo pulverem Olympicum colligunt, non sequentes, quos superarunt, sed antecedentes respiciunt, quos superent. Ita, si agere instituerimus, non tollemus spiritus, videbimus enim longissimo intervallo abesse nos ab illorum sapientia, quos omnis est admirata et adhuc admirabitur posteritas. Poëta es? quid tu ad Virgilium quid ad Horatium? Orator? quid ad Ciceronem, quid ad Demosthenem? Mathematicus? quid ad Euclidem, quid ad Archimedem? Philosophus? quid ad Aristotelem et Platonem? sed plurimi usque adeo nemini se posse

ponunt, ut etiam multis anteponant, se comendari cupi-
dissime audiunt. Nec refellere, nec refelli sine iracundia
ac maledictis possunt. O audaciam non ferendam! quum
nulla videtur bene litterato, ac potissimum christiano
homini aeque necessaria, nulla comodior, nulla pulchrior,
et ad nominis celebritatem conciliandam accomodatior
sit, quam modestia animusque de se submisse existi-
mans. Praeterquam vero, quod qui inani sui ipsius
amore trahuntur, malitiose perfectionibus suis obicem
ponunt, ita etiam alios in sui contemtum concitant. Nec
solum manifesta ostentatio, sed etiam tectior et obscurior
sui met commendatio displicet audientibus. Anceps illa et
lubrica res est, etiam cum illi necessitas lenocinatur.
Etenim, si alienae quoque laudes parum aequis auribus
accipi solent, quam difficile est obtinere, ne molesta videa-
tur oratio de se, aut suis disserendis. Hoc tum ipsi hone-
state, tum aliquanto magis gloriae nostrae praedicationique
invidemus; atque ea demum recte facta minus
detorquentur, ac in deterius rapiuntur, quae in obscuritate
et silentio reponuntur. Scite Plinius noster: Eos, qui
benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare, quia
fecerint: sed, ut praedicarent, fecisse creduntur. Sic, quod
magnificum referente alio fuisset, ipso, qui gesserit, recen-

sente, vanescit. Hoc de eo, culpandam esse nimiam placendi cupidinem. Sed nec, quod proposuimus, ob invincibiles obtineri difficultates poterunt. Hoc non minimi momenti est, quod, qui ad finem voti sui pertingere cupierit, illi diversissima ingeniorum vincenda varietas est. Hoc quippe in universum valet, trahi quemlibet sua voluptate, quemque suam artem suum studium maxime retinere: hos enim castra, illos honores, istos agricultura, alios voluptates, quosdam litterae, alios delectat navigatio. Horum cujuslibet studium sequi, tam difficile esse, quam meridie lucere, in confesso est.

Propero nunc ad id, quod II^(dc) loco posui.

Est vero illud maxime dolendo modo propositum illud evanescere. Viam aperit, quod, qui omnes in laudes suas consentire cupiunt, id faciunt, quod plane cum natura assensus pugnat. Cum enim assensus proprio intellectus judicio nitatur, consequitur, cogere hunc et vincula injicere intellectui velle, qui tale quidpiam machinatur. Et si vel maxime succederet iste conatus, dedecus tamen afferret hominis naturae, atque turpitudinis notam. Nisi enim nitatur firmissimo veritatis ac rationis fulcro, et ad hujus exigatur normam, quicquid superstruxeris exiguo temporis puncto corruet. Cetera enim vana et fragilia sunt, veritas sola duratura aeternaque

habetur. Leve illud, et cuivis parabile est, stipari, adulatorum coetu, qui illicis lucri spe laudes nostras praedicent, et inter omnes divulgent. Ast hi, si serio res agatur, si opibus destitutus fueris, nullo te modo juvabunt, quare etiam in ~~perpetuum~~ proverbium abiit: cassa fide esse, qui jugiter blandiuntur. Per hoc enim adulteratur judicium veri, atque ipsi etiam non minimo ruinae atque interitus nostri causa sunt. Veritatis igitur ac rationis validissima argumenta ad assensum nobis praebendum allicere debent, ut assensui suus constet valor. At vero difficile est simulationem non prodere, nisi ipsa, quae nobis inhaeret virtus, vim rationibus addat. Nec tamen isti tribuent sibi aliquid arrogabuntque dignum depraedicatione hominum, nec eum in actionibus sibi finem proponent, ut in ore atque celebritate hominum versentur, sed contemta hac populari aura, quae modo huic modo illi favet, quoque vilissime evanescit, hac, inquam, purum potius et sincerum, ac ab omni fuco alienissimum proborum sectantur judicium, apud hos bene audire, ab iis suspici plurimum semper delectationis habet. Ex altera parte, si vel maxime quis insistat virtutis ac veritatis viam, et assensu quovis dignissimus sit, ea tamen innata hominibus est in judicando caecitas atque

perversitas, ut in penitiora mentis nostrae non possint penetrare, nec actionum nostrarum finem ad quem tamen omnia revocanda sunt, perquirere queant. Praeterea quod difficillimum est, merita alterius perspicere, nisi ipse meritis polleas. Sed paucissimus est eorum coetus, qui aequa lance merita aestimant, quia ita comparata hominum natura est, ut, quod ipsi non habent, in aliis videre non gestiant, ideoque, si vel quandam alicui debitam laudem intelligant, hanc tamen non proferent, sed corrodent potius. Nullum vitium imanius hac invidia torquet. Sicuti ferrum rubigo, ita haec animum consumit, et quasi exedit, ut totus in exitium proximi feratur, et tabificum in perfectionibus ejus inveniat venenum. Frivoli vero, dum aliis rebus ad altiora emergere desperant, maledico dente alios carpendo eorumque atterendo famam, nomen imortalitati studuerunt consecrare, atque ipsi, quod admittunt, aliis affingere eisque vitio dare, atque ut perfectionum suarum removeant obstaculum, nihil intentatum relinquent et quoquo modo subvertere eos studebunt, quo, ut cum summo doloris ac perianti sensu vanum propositum miserrime exploditur. Dum vero plerique inani quadam jactantia ducti aliorum inire gratiam cupiunt, suo merito odium, quo alii in ipsos concitantur, sibi contraxere. Ostentatio enim ipsi animo nostrae

nostrae naturae repugnat: habet quippe mens nostra sublime quiddam et erectum et impatiens superioris. Ideoque abjectos et summittentes se libenter attevamus, quia hoc facere tanquam majores videmur: et quoties discessit aemulatio, succedit humanitas. At qui se supra modum extollit, premere ac despicere ceteros creditur nec se tam majorem quam minores ceteros facere. Hunce autem, de quo paulo ante dixi, dolorem auget bonae actionis persuasio. Constat fere inter omnes, optimae mentis conscientiam plurimum ad levandas molestias posse: ac mihi semper dubitandum esse visum est, num majorem ea cogitatio vim habeat ad augendum, quam ad minuendum dolorem: nam cum qui stulte fecimus, si quid ex eo postea nobis mali contingat, si ratio in nobis dominatur, jure nos plecti fatebimur, nostra enim culpa vitioque laboramus. Illud vero est ad ferendum tolerandumque difficile, cum innoxii ad aliquod crimen injecti esse putamur. Hoc denique cumulum dolori addet, quod semel amissa fama difficulter reparatur.

Absit autem a nobis, ut ideo vituperandus animum nostrum invadat torpor ac supina negligentia, quin mediam potius tentamus viam nostramque existimationem certo pondere examinamus, nec magis nobis vendicamus, quam quod ad avertendum contemtum, et arrogantiae nomen sufficere existimamus.